

42

AR CLARISSIME ET
HABITISSIME.

PISTOLA GRATVULATORIA
QVA
VIRVM CLARISSIVM, INGENIO ET VA-
RIA ERVDITIONE PRAESTANTEM
IO. IACOBVM
DE BRINCKEN,
BRVNSVICATEM, POETAM LAV-
REATVM CAESAREVM,
CVM AD CAPESSENDAS
GYMNASIIS LVNEBURGENSIS HABENAS,
HALA DEMIGRARET,
OFFICIOS PROSEQUITVR
GODOF. CHRISTOPHORVS GOESMANN,
WICKEDA-VNNensis WESTPHALVS,
PHILOSOPHIAE ET HMANIORVM LITTERARVM
MAGISTER.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



VIR CLARISSIME ET ERVDITISSIME,



Vamquam arctior illa , Tecum quæ
mihi a multis retro annis intercessit
familiaritas necessitudoque , animum
meum lætitia semper perfudit inten-
fissima : hoc ipso tamen tempore ,
quod Tui mihi præsentis vberius fruendi interclu-
det facultatem , tantum abest , vt iucundissimus hic
meus adfectus fiat remissior , vt potius eodem ex-
sultare , atque gaudio iam meo plane triumphare
michi videar. Quare & temperare mihi non pos-
sum , quin illa voluptas in hanc erumpat epistolam.
Dabis ergo hoc mihi , Vir Clarissime , quod rudi-
quidem crena & liberiori orationis habitu Te dis-
cessurum prosequor , atque adeo metrice Tibi ac-
cinentes , argutos , vt loquar cum Marone , inter-
strepō anser olores. Quinquennium & plus eo in
Academia Iulia adeo solerter fuisti versatus cum
Musis , vt & ipse Apollo in ifto suo Parnasso sen-
tentiam dicens , præmii loco Coronam Lauream Ti-
bi decretam voluerit , ceteris autem honoribus sibi
huc vsque reseruatis. Delatus deinde in aliam
Fri-



Fridericianam nostram haud fuisti prius , quam in
Tuam mihi perueniendi notitiam subnata fuit oc-
casio. Non enim modo in Musarum castris mihi
obtigisti ~~auspicari~~, verum etiam in ludo litterario ~~conspicere~~
~~cooptatus~~, vbi manu socia optimæ spei ingenia
iis maxime litteris, quæ ad suscipiendam & in gre-
diendam rationem studiorum Academicorum, viam
muniunt, erant fingenda. Suprema mihi iam tum
lex constituta erat , illis præcipue vti valde familia-
riter, a quibus fructus haud spernendus & doctrinæ
sanioris & vitæ melioris in me redundare posset. In
hunc vero censum vel maxime venire statui, qui in
Latium nostrum Academicum tendentes superatis
Alpibus lanuginem deposuerint. His motus ratio-
nibus intimam Tuam amicitiam , Vir eruditissime,
anhelaui anxie in eam perueni auspicate, eam hoc
vsque adeo colui sancte, vt Damonis & Pythiae vin-
culum mihi non magis indiuulsum fuisse videatur.
Ita quoque præclaris animi Tui dotibus, ingenii
fecunditate, iudicii sagacitate , memorie tenacita-
te, eruditiois vberitate morumque elegantia, nouo
hoc Tuo quinquennio Halensi , complurium ocu-
los in Te conuerti, vt & de pube Academica qui-
dam erectoris ingenii iuuenes Tuis luminibus ca-
pti a Tuo docentis ore priuatissimos inter parietes
pendere habuerint in deliciis. Consilio igitur lit-
terario & a vulgari vanitate remoto , summos in
philosophia honores tandem aliquando capessere
decreueras: sed dum in themate academico elabo-
rando desudas, turbantur Tibi circuli a dulci solo
natali Te hinc auocante, vt Gymnasii Lüneburgen-
sis gubernaculum teneas. Multis virtutum Tua-
rum amantissimis adfamat testatum reliquisti , ad
formandam iuuentutem scholasticam, & eiusmodi
ma-

maxime spartam, quam natus est, masculæ ornandam, Te natum factumque esse. Prudenter idem facile iudicarunt Perillustres Tui Superioræ, qui Te muneri huic Rectorio confessim admouendum putarunt. Remigras itaque nunc ad lectissimum Tuum Lunæ Burgum, emporium Germaniæ nostræ haud postremum, sua quippe antiquitate, ciuium frequentia, mercium commeatu, Regia Academia equestri, binis Gymnasiis florentissimum. Quæ cum ita sint, facere non possum, quin Tibi vltimum nobis dicturo vale, quæuis fausta atque felicia precer. Gratulor impense Tibi Tua munia. Itas opportunitates, quæ iam pridem Tibi promerenti, nunc demum obtigerunt, ita fortunet atque secundet summus scholarum sator & stator, vt cum rei scholasticæ & ecclesiasticæ, tum rei etiam publicæ insigni incremento, omnia ad Tuam Tibi fluent voluntatem, flatu prouidentis auræ diuinæ prospero numquam reflante. Ages, confido, quod Ludi Moderatoris est prudentis, fidi & virtutibus diuinis exaggerati. Omnibus nauibus atque quadrigis eo contendes, vt in ista bonarum mentium officina & publicæ rei seminario, Tui Te Rectori præeunte, tingantur præceptis solidis, artibus ingenuis, pietate fine fuco, Galantismo non minus quam Pedantismo, sit venia verbis, crepundiis scholasticis vñbraticis procul facestere iussis. Hac ratione officio erga omnes omnium ordinum gaudens, summi Numinis gratia, superiorum fauore, æqualium amore, inferiorum studio atque obsequio vbertim perfrueris. Ita vale, meque abs Te loco, non animo disiunctum, adamare strenue perge. Scribebam
Halæ Magdeburgicæ d. VII. August.
MDCCXXIV.

2°

Gb 956,



Walter Becker
Buchbinderei
Halle, Thüringer Str. 24

VOMA

42

41

PISTOLA GRATVATORIA

QVA

ISSIMVM , INGENIO ET VA-
DITIOME PRAESTANTEM

JACOBVM RINCKEN,

CATEM, POETAM LAV-
ATVM CAESAREVM,

CVM AD CAPESSENDAS

LVNEBURGENSIS HABENAS,
LA DEMIGRARET,
EFICIOSE PROSEQVITVR

KISTOPHORVS GOESMANN,
DA-VNNENSIS WESTPHALVS,
E ET HUMANIORVM LITTERARVM
MAGISTER.

MALAE MAGDEBURGICAE,
CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

